



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Religionis mutationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

6  
glutienda dehiscat, solet mugitus quidam audiri, & tremor sentiri, multa; alia instantis mali signa præcedere, vt quod aues circumuolitantes clamoribus & frequenti alarum concussu accolas ad fugam horrantur, atque ipsi etiam serpentes & venenata animantia e cauernis suis prorepentia, ad rutiliora loca se recipiunt: ita Deus Optimus Maximus, qui ex paruatum rerum casu, magnarum nobis ruicam ostendit, cuique omnia etiam antequam eueniant, sunt præsentia, non statim iræ suæ gladium in eos à quibus offensus est, distringit ac vibrat, sed varijs prodigijs nisi à peccatis desistant, scelerum pœnas hominibus denunciat, quarum initium est, vt Eusebius Lib. 9. de Demonstr. Euang. ait, conceptus inde pavor & consternatio. Stellæ & alstra tanquam Fœciales sunt aut tubicines magni illius Imperatoris, ad commonefaciendos homines missi, quanta rerum mutatio in cœli præparatur.

*Natura quandoq; Deus: perfringere leges  
Non dubitat, terra hac queis est adstricta polusque:  
Naturam vt contra si qua forte ire videmus,  
Accipiamus, vt instantis prænuunciat cladis.*

Ab eodem immortalis Deo cœlestia lumina nobis propofita sunt tamquam tabulæ aut Aduersaria, vt in ijs sancta ipsius decreta legeremus, & tum horribiles diuinæ auræ effectus, tum suauissimos elementæ & benignitatis fructus ob oculos positos semper haberemus. Nec profecto cuiquam dubium esse debet, quin magnum hoc & tot altris insignitum corpus vires suas inferioribus hisce continuo imprimat, sic vt omnia etiam inanima ad Dei omnipotentis nutum componere se & accommodare inducantur. Omnes Mundi huius partes felici illo matrimonio, quod Deus ab initio, velut Paraenymphus, sanxit, inter se coniunctæ sunt, & mirabili quodam ordine velut concatenatæ: sic vt actiones & passionés reciproce communiueat, & sempiterno quodam fœdere perstant.

III. Per mutos hos interpretes, qui non nisi per signa quædam loquuntur, quique præcipua diuinæ potentæ instrumenta sunt, Deus sæpe Rerum publicarum ortus, mutationes ac ruinas, prælia clades, Regum ac Principum obitus significat ac prænuunciat: vt in magna illa persecutione accidit, qua Antiochus Iudaicum populum grauissime afflixit. (a) Quæ signa & prodigia Ægyptus non vidit (b) tum quum eundem suum populum Deus inde educere vellet; Hæc in sacris

exstant historijs: quorum similia non pauca apud alios leguntur, quæ scilicet Xerxis illam, plusquam decies centena hominum millia ad excidium Græciæ secum trahentis expeditionem (c) quæ, Romanæ magnitudinis æmulæ, Carthaginis euerfionem (d) quæ bellum Ciuile inter Cæsarem & Pompeium (e) quæ necem eiusdem Cæsaris præcesserunt. (f). Et vt ad nostra veniam, quis nescit tum quum Brunehildis, & Fredegundis sceleratissimæ fœminæ, in regno hoc omnia permiscuerunt; (g) vt & tum quum Ludouicus & Fridericus ciuilibus armis de Imperio contenderunt (h) multis prodigijs publicas has calamitates fuisse præsignificatas? Sed & morbos febresque continuas & funesta illa bella Franciæ regnum sub Philippo Valesio misere vexatum fuit; nec non multorum Regum ac Principum mortes crebra ostenta præcessisse historiæ testantur. Infinita alia exempla omitto, quæ exstant apud eos qui temporum & rerum gestarum memoriam literis prodiderunt.

IV. Verum enim uero illud longe est admirabile, quod per eadem alstra Religionis mutationes sæpenumero Deus ostendit; & siue ad puniendos malos, siue ad bonos exercendos ac probandos, Sathasæ in homines grassandi licentiam permittit. Sic idem admirabilem religionis & sacrorum mutationem, quæ Christo D. & Seruatore nostro nato accidit, per magnam illam Iouis & Saturni coniunctionem, quæ Natiuitatem ipsius præcessit; ipsam vero Natiuitatem per nouam & inuitatam stellam præsignificauit: vt & Paganismi abolitionem per Virginis imaginem in cœlesti iride, vt quidam scripserunt, ab Augusto conspectam: (i) itemque miserabile Hierosolymitanæ vrbs excidium, per varia prodigia & portenta. (k) Sic Hermes & Alcaius, vt Albumazar testatur (l) è signo Virginis semper virginem illam Dei filij matrem nutricem quodammodo agnouerunt quam modo dictus Arabs tamquam pennis de pingit, nec tamen tanto tempore expectatum Messiam agnoscere potuit. Sic Iudaicæ religionis abolitio amiaaci & prodigioso Cometa fuit prænuunciata, vrbi illi quam Deus omni terrarum nationi

a 2. Machab. 5. b. Sap. 17. Exod. 7. 8. 9. c. Herodotus. lib. 7. cap. 37. d. D. Liv. Florus. c. Cæsaris Com. f. Seruius in Virgil. g. Annales Francia. h. Brouij Annales. i. Baron. Tom. 1. Annal. k. Iosephus l. 1. de bello. l. lib. 10. Introduct.



tionis diripiendam dare constituerat, tamdiu infestis suis radijs quasi incumbente (a). Sic Christianæ religionis incrementum victoriosum Crucis signum, (b) quod Constantino Imperatori apparuit, sic frequentes & celeberrimæ Christianorum sub Theodosio victoriæ à stella insolita gladij formam præferente fuerunt significatæ. Sic execrabilem Arij, in Trinitatem ac diuinam essentiam contumeliosi, hæresin multa cælorum prodigia præcesserunt: & pessimi impostoris Mahometis aduentum magna Planetarum in scorpionis signo facta coniunctio: quo tempore Arabes excitata contra Imperatores rebellionem, in Elnabi sui, torrentium poltea facti domini, Lege modis omnibus stabilienda, tanta contentione elaborarunt. Sic Carolo magno Imperatore inusitatæ magnitudinis eclipses multarum nationum ad Christianam religionem conversionem prænunderunt (c) ut & præclaras Ecclesiæ contra Henricum V. Imperatorem victorias (d) Sic paulo ante insignem illam Christianorum ad Echinadas de Turcis Anno M. D. LXXI. partam victoriam, Crucis insignia super Constantinopolitana vrbe apparuisse dicuntur (e) Sic Anno M. D. LV. medio die lucentes flammæ super sancto illo sacello, in quo Saluator noster verbum caro fieri voluit, è Syria in Marcam Anconitanam transportato, è cælo delapsæ & conspectæ, ad celebrandam & amplificandam Deiparæ Virginis gloriam è toto terrarum orbe homines exieuerunt & convocarunt (f) Sic ignea illa pyramis seu columna, in aere super Mexicana vrbe diu suspensâ (g) Euangelij in nouo Mundo propagationem: & Crucis signum Anno M. D. X. in Orientali India conspectum (h) & à Prorege Albuquerqueo & Lusitanis magna veneratione adorum eiusdem salutaris signi in medio Sathanæ regno exaltationem, & tot præclarissimas eorundem victorias præsignificauit: quod idem signum Anno M. D. LX. quoque apparuisse scribitur (i) Sic crudeles illas teneræ adhuc & adolescentis in Iaponibus Ecclesiæ persecutiones, inauditi antea & horridi terræ motus, tamquam conflictus quidam infernalis potentia (k) præcesserunt. Si plus quam sexcenta idola euersa, & præalta illa apud Iaponenses diabolica statua fulmine percussa, certam nobis spem faciunt, idoloratriam istis in regionibus funditus excisum, veramque Christianam ac Catholicam religionem longe lateque propagatam iri: ut multa alia circa religionem præclara prodigia & prodigiosa præsignia, ac tam

ostenta quam euentapræteream, in cælo notatæ quæ in vniuersa Mundi nascentis, adolescentis & senescentis historia curiosus lector facile deprehendet & obseruabit.

V. Porro quemadmodum prima Mundi nascentis incunabula quæque circa illa acciderunt, à stellis & astris præsignificata fuerunt ( ut præteritorum sæculorum percurrenti memoriam facile apparebit) sic etiam eiusdem quasi decrepata aras & finis, quando scilicet homo ille peccati solenni & perpetuo sacrificio abolito, nouam religionem introducturus, Antichristianismum stabiliturus, seque ipsam tanquam Deum, ut Apostolus loquitur, adorandum exhibiturus est, multis signis ac prodigijs famosus erit. Tunc quidem monstri illius detestabilis, ad humani generis exitium nati, aduentus. specioso noctis velo tegetur atque inuoluetur. Omnes planetæ, omnia elementa, ut ipsa S. Scriptura testatur, extremam illam rerum in toto Christiano orbe mutationem, tamquam diuini iudicij interpretes annuntiabunt: adeoque ipsæ cælorum virtutes commouebuntur, summaque in firmis miscebuntur, ac susque deque omnia ferentur. (l) Vnicus ille Mundi oculus, Dei imago, ac secundus terræ parens, tam de splendore quam viribus suis multum amittet, ac lumen suum Lunæ maligne communicabit: & quemadmodum stellæ D. N. Iesu Christi natiuitatem indicant, ita eadem Antichristi aduentum & prodigiosam Christianæ legis mutationem prænunderunt. *Faciam, inquit Creator, ut omnes cælorum stellæ, ô homo, super te plorent ac lamententur* Siste hic superbæ, siste curiositatem tuam, nec quidquam vltius inuestigas: sed illud potius considera, schisma hoc quo scædæ iam dilaceratam adeoque ab hæreticis viam Antichristo præparantibus, ad extrema fere redactam Ecclesiam cernimus, ab ipso uniuersi huius opifice per easdè cæli, toties turbato rerum ordine fractas ac mutatas virtutes, esse prædictum. Considera cælum incunite decimo sexto sæculo, nequaquam fuisse mutum, sed veluti clara voce & quasi intento digito magni illius Aduersarij præcursores indicasse. Sol, luna & reliqua luminaria quæ Deus in vasso cælorum fornace, miro inter se ordine disposuit,

a. Iosephus 7. Belli 12 b Euseb. in Vita Constantini c Annales Francorum d Natal Com. lib. 21. e Idem f Historia Laureana l. 3. c. 24. g Acosta. h Maffei l. 3. Hist. Ind. i Gaspar in Epist. k Historia Martyr. Iapon. l. Luc. 21. S. Hieron, Hom. 31. in cap. 4. Isaia.